

## Die Urkunden Ludwigs II., 54

In nomine domini nostri Iesu Christi dei eterni. Ludouicus divina ordinante providencia imperator augustus. Dum pro variis temporum adversitates plurima edificiorum et alia quedam pertinentia ecclesie sancte Michaeli, que deo auctore sita est in monte Gargano, vidi semus deserta et ruinosa seu dissipata, ne tam famosi oratorii honor cultusque vilesceret ac debita veneratio per incuriam deperiret, divinae inspiracionis nutu compuncti pro dei et sancti Michaelis amore nostreque dilectissime coniugis Angilberge ac prolis omnisque parentele nostre nec non salute perpetua, pro nostri eciam statu imperii omniumque nostrorum sospitate ac prosperitate concessimus in eandem venerabilem ecclesiam, cui Aio Beneventanus episcopus preesse videtur, ipsum castellum, ubi iam dicta sacrosancta ecclesia sita est, una cum omnibus gastaldianis ibi commanentibus exceptis servis dominicatis et servis singulorum hominum, ut amodo et deinceps omnes perpetuis temporibus salva sua libertate sint sub defensione ipsius ecclesiae, quatenus a nullo umquam castaldo vel quolibet publico actionario seu ministeriali molestentur aut pensionem aut censem aut xenia dare aut quamcumque angariam facere aut in exercitum ire cogantur, sed sint semper securi sub cura et defensione omniue obedientia ipsius sacratissimi oratorii, ut, quod ad gastaldios vel in publicam exactionem persolvere debent, hoc persolvant in ipsum sanctum locum secundum voluntatem et ordinationem Beneventani pontificis, sive in pensione seu in xeniis et censu vel angariis. Et pro ipsa defensione, quando coguntur a gastaldo vel quolibet actionario publico ire in exercitum, sint in oboedientia ipsius sancti oratorii ad restaurandum et cooperandum, queque illic necessaria esse paruerint interius exteriusque, iuxta voluntatem et preceptionem Beneventani pontificis vel eorum, qui ab ipso ibi preordinati fuerint; ita ut ipsis tantummodo et nulli alteri sint subditi sive ad pensionem censemque seu consueta xenia dandum seu angarias rationabiliter persolvendum et, sicuti dictum est, salva sua libertate in omnibus obediendum, ut ipsi sub hac defensione quieti permaneant et prefato sancto loco per eos debitus honor accumuletur sive per congruas exactiones seu per necessarias operaciones et devotas obediencias, dum ea exhibent in ipso sancto loco, que gastaldiis seu publicis exactoribus soliti fuerant exhiberi. Et ut nullus iudex aut scabinus, nullus exactor publicus aut actionarius quolibet modo nullusque omnino gastaldius in prefato sancto ac venerabili loco placitum ullo modo presumat tenere, nostra presenti funditus interdicimus imperiali preceptione. Quam nostre preceptionis atque concessionis emunitatem, quia imperpetuum volumus inviolabilem permanere, ideo ex nostre potestatis auctoritate firmiter censemus, ut si quis contra eam quolibet modo agere temptaverit vel quicquam inde violare presumpserit, non solum id, quod violaverit, restituendo restauret, sed eciam XXX libras auri purissimi in ipso sancto loco invitum persolvet, quatinus hec nostra concessio semper firma et secura persistat. Pro qua videlicet inconcussa nostre pie devacionis concessione volumus, ut omni tempore per singulos dies pro nobis nostraque dilectissima coniuge ac prole omniue parentela illic missa canetur et die noctuque semper per singulas officiorum horas ter cum propria oratione Kyrie eleyson dicatur et in matutinorum explectione Deus misereatur nostri ac horae tercie Deus in adiutorium meum seu completorium De profundis ubi et ubi eternaliter decantentur. Porro ut hec nostre concessionis emunitas ab omnibus verissime credatur et inviolabilis conservetur, propria manu eam firmavimus et bullis nostris roborari pariter precepimus.

Signum serenissimi augusti domni Ludouici.

Ego Gauginus sacerdos ac cappellanus iussu serenissimi augusti domni Ludouici scripsi.  
Acta Beneventi civitate; dat. IIII kal. iun., anno Christo propicio imperii serenissimi augusti  
domni Ludouici XXII, indictione IIII; feliciter.